THESES ALIQVOT PHILOSOPHICÆ.

Quas

Auſpice & propitio numine, ingenui aliquot Adoleſcentes Collegij Leonardini alumni, ad lauream Magiſt. adſpirantes, in quadrimi laboris ſpecimen publicè pro virili propugnabunt, ad diem Iulij an. Dom. 1631. horis & loco ſolitis.

Præſide *GEORGIO WEMIO*.

EDINBVRGI,
Excudebat *Ioannes Wreittoun*.

NOBILISSIMO
&
AMPLISSIMO DOMINO
DOM. SIMONI FRASERIO de *Lovat*, *Beule*, *Dalcros*, *&c. Baroni primario*,
Patrono & Mecænati ſuo plurimum
colendo S.

REgiam majeſtatem ſine honorifico ſui amoris & obſervantiæ pignore Parthi non ſalutabant: cum vero heroicum tuum genium (Magnifice Heros) ſplendidiori munere adorare, tenuem & abjectam noſtram fortunam ſuperet; theſes haſce noſtras inconcinnas & indigeſtas nominis tui amplitudini dicare & noſmetipſos in tui honorem & obſequium emancipare voluimus. Nos tuæ benevolentiæ aura freti & ſub tuæ clientelæ vmbra ſecure quieſcentes, leves eorum ſannas & virulentas calumnias nec verebimur nec morabimur, qui otio obtorpentes & maledicendi libidine æſtuantes alienæ induſtriæ monumenta ſugillando ſuum otium oblectant, & obtrectandi pruritui blandiuntur. Cum excellentes animi tui virtutes ad ſupremum perfectionis culmen provectæ retuſam oculorum noſtrorum aciem præſtringant, & de principatu magnopere contendant, nulla te ſuperis magis commendat, nulla majorem apud homines tibi gratiam parit, nulla ad perennem nominis tui famam in omnia ſecula propagandã majorem vim habebit quam vera pietas & incorruptæ religionis amor: omnes enim tuas curas & cogitationes in eo defigis, ſummaq; ſolicitudine in hoc vnice incumbis, vt puriorem numinis cultum fæliciter promoveas, & ab inſana idolomania, ac inſidioſis Pontificiorum machinationibus in plagis borealibus animoſe vendices, vbi

Cucul-

Cucullatorum furor maxïme deſævit, qui rudioribus ac ſimplicioribus ſuam rubiginem facile affricant, & rigidam quandam ſeveritatem ſuæ impietati obtendentes æternæ animarum ſaluti perniciose inſidiantur. Præterea puræ religionis antiſtites & bonarum literarum cultores facultatibus foves, conſiliis inſtruis, præſidiis munis, omni deniq; auxiliorum genere ad rectam veritatis ſemitam fortiter ac conſtanter premendam vires animoſq; ſuppeditas. Splendidiſſimæ & clariſſimæ gentis ornatiſſimus es princeps cujus fides in patriam & patriæ parentem inviolata & ab omni fraudis ac proditionis ſuſpitione aliena ſemper extitit; cujus præclara in rempublicam facinora æternæ famæ cuſtodibus commendata, nulla unquam ſuccedentis ævi ingrata delebit oblivio: Atria quidem tua multis & claris majorum imaginibus ſplendide effulgent, longo & glorioſo ſtemmate inter regni proceres emines, leves tamen & inanes honorum titulos omniaq; cætera fortunæ blandimenta magno animo contemnis, quæ haurientium ſitim concitant majuſq; ſui deſiderium accendunt. Familiarius celſitudinem tuam in patrocinium advocare & moroſa quadam audacia graviores tuas curas interpellare ſuſcepimus, ob inſignes illas & hac tempeſtate rāras cum naturæ tum gratiæ dotes, & præſertim propter ſingularem illam humanitatem, qua non ſolum laticlaviis ac patriciis, ſed omnibus cujuſcunq; ordinis hominibus demerendis te natum eſſe demonſtras. Cæterum ad ſublimitatis tuæ faſces facilioris aditus ſpem fecit chariſſimus ac clariſſimus Filius qui in iiſdem Muſarum caſtris & ſub ijſdem vexillis nobiſcum ſtrenue militavit, cujus heroica indoles egregie cōmonſtrat, quantum ad omnigenam virtutem & veram nobilitatem in ſobole præſtat generoſa ſtirps & vere nobilis progenies: cum natalium ſplendor eum ad ſublime iſtud ho-

noris faſtigium evexerat, vt quadrimi noſtri laboris præmium excelſo & ad magis ardua erecto animo faſtidiat, nobis tamen pro virili decertantibus ſæpius palmam præripuit & non invitis retinuit. Faxit Dominus vt quem generoſo vultu & eximiâ corporis formâ viva imago refert, eundem totius vitæ exemplar ſibi proponat, ad quod omnes ſuas actiones diligentiſſimè componere & conformare ſtudeat, & a quo tanquam perenni virtutis fomite, prudentiæ, juſtitiæ ac religionis facul as facillime accendere poſſit. Quod reliquum eſt te (illuſtriſſime Domine) ſupplices oramus vt noſtræ huic interpellationi facilis ac benevolus indulgeas, noſq; in tuam clientelam recipiendo, & rudes ac impolitas haſce noſtras lucubrationes tuâ authoritate muniendo ac protegendo ad omne obſequium in perpetuum tibi devincias. Deum Opt. Max. anxijs & ſolicitis votis nunquã non comprecabimur, vt te Reip. Scoticanæ & ſplendidiſſimæ veſtræ familiæ quam diutiſſime incolumem conſervet, & omnibus hujus vitæ bonis cumulatiſſime ornatum, tandem ſerâ & beatâ immortalitate coronet, Vale.

Tui honoris ſtudioſiſſimi,
A. L. M. C.

David Stirkeus
Daniel Wilichius.
Georgius Leakeus.
Gulielmus Levingſtonus.
Gulielmus Tyſonus.
Iacobus Duncanus.
Lachlanus Fraſerus.
Robertus Duræus.
Richardus Leakeus.
Robertus Pitcarnus.
Thomas Walkerus.

THESES LOGICAE

I.

ENtia rationis fiunt per operationem intellectus vel ea concipientis ad modum entium quæ non sunt entia, vel entia absoluta inter sese comparantis, vel simplicem rei naturam in plures conceptus distribuentis, vel denique ea componentis quæ in se non componuntur.

1. Operatio mentis qua efficitur ens rationis illud non respicit tanquam suum terminum.

2. Fundantur entia rationis non solum in imperfecto nostro modo concipiendi, sed etiam aliquando in ipsis rebus intellectui occasionem præbentibus vt tali modo concipiantur, & vt talis denominatio iis imponatur.

3. Negationes & privationes vt conveniunt rebus ante operationem intellectus, non sunt entia rationis.

4. Fabricatio entis rationis derogat absoluto & perfecto modo concipiendi mentis increatæ.

5. Non idem est ens reale & prima notio, occurrunt primæ notiones quæ nullam habent entitatem nisi ab operatione intellectus.

6. Non omnis denominatio extrinseca pro ente rationis haberi debet.

II. Natura communis ex parte rei non existit nisi contracta ac determinata in singularibus cum quibus identificatur, & a quibus per simplicem abstractionem intellectus liberatur ac præscinditur.

1. Vnitas ergo naturæ a parte rei conjuncta est cum vnitate numerica a qua non aliter differt quam natura absolute sumpta a natura rei singularis.

2. Communis natura non est prior natura singularibus prioritate reali, sed tantum prioritate rationis siue quæ est secundum existendi consequutionem.

3. Male igitur Fonseca attribuit naturæ communi v-

nitatem quandam ex parte rei quam ait eam non habere vt contracta est in singularibus.

4. Vnitas ergo præcisionis est fœtus intellectus superadditus vnitati formali in quantum liberata est per intellectum ab vnitate numerica.

5. Vnitas naturæ indifferenter se habet ad communicabilitatem & incommunicabilitatem.

6. Res non sunt vniversales nisi per operationem intellectus.

III. Natura humana abstracta a singualaribus hominibus habet vnitatem præcisionis & aptitudinem essendi in multis.

1. Fit ergo vniversalis sine actuáli comparatione cum inferioribus, esto non explicetur nisi per habitudinem quandam ad inferiora.

2. Secundæ notiones fiunt ab intellectu cum ipsæ ab eô non cogitantur.

3. Vt igitur dicantur existere objective in intellectû satis est si vel ipsæ, vel earum fundamenta intellectui objiciantur.

4. Nominalium sententiam de vniversali explodimus, res ipsas non nomina aut conceptus vniuersales esse volumus.

IIII. Genus & differentia sunt diversi conceptus objectivi vnius & ejusdem rei, qui proveniunt ex imperfecto modo concipiendi intellectus nostri vnius rei naturam in plures & sibi subordinatos essentiæ gradus distribuentis.

1. Qui animæ facultates animatorum differentias esse volunt compositionem metaphisicam penitus ignorant.

2. Compositio ex genere & differentia non est realis.

3. Nec superiora & inferiora in eadem catigoria distinguuntur realiter.

4. Ordinatio & dispositio rerum in serie prædicamentali est opus humani intellectus, nec quicquam categoriam ingreditur nisi quod aliqua secunda notione vestitum est.

V. Ad constituendam analogiam non sufficit qualibet in-

æqualitas

æqualitas inferiorum nec qualibet eorum similitudo sed diversitas ipsius rationis communis in ordine ad inferiora.

1. Ens est analogum ad substantiam & accidens, & accidens ad novem genera accidentium sed non eodum genere analogiæ.

2. Vulgare illud, *Analogum per se sumptum stat pro primario significato*, in iis tolis locúm habet, in quibus forma communi nomine significata ab vno vel quibusdam participatur intrinsece & a reliquis tantum per extrinsecam denominationem.

3. Ens nudo positum non supponit pro substantia.

4. Nec distinctus conceptus vnius analogati est confusus conceptus alterius.

VI. Alia est subsistentia qua natura substantialis existit independenter a subjecto inhæsionis, alia est ultimum eius complementum in supposito: illa constituit substantiam, hæc suppositum.

1. Male Cajetanus ponit distinctionem ex natura rei inter naturam & subsistentiam, cum interim neget compositionem ex iis esse realem.

2. Natura humana Christi habet subsistentiam per quam sufficienter distinguitur ab accidentibus.

3. Christus convenit vnivoce cum reliquis substantiis prædicamentalibus in attributis essentialibus, non autem in ratione suppositi.

4. Substantia per potentiam absolutam non potest alteri inhærere, nec accidens extra omne subjectum existere.

VII. Relatio transcendentalis est essentiale complementum alicujus absoluti, relatio prædicamentalis accedit rei absolutæ jam in sua essentia constitutæ.

1. Illa igitur per se a natura intenditur hæc vero minime.

2. Relationes materiæ ad formam, potentiæ & habitus ad objectum & operationes non sunt prædicamentales.

3. Ens absolutum ratione relationis sibi superadditæ spectare potest ad categoriam relatorum.

VIII. Logica in sua essentia includit habitudinem ad secundas notiones.

 1. Ergo

1. Ergo relationem realem & transcendentalem.

2. Relatio transcendentalis ad ens rationis vel ens in potentia potest esse realis.

IX. Habitus est qualitas firma & stabilis, adjuvans & facilitans potentiam in suis operationibus eliciendis.

1. Solæ potentiæ elicitiuæ actionum immanentium & quæ aliquam habent indifferentiam in operando habitu iuvantur ac perficiuntur.

2. Omnis ergo potentia capax alicujus habitus, vel est rationalis, vel nata est a ratione dirigi & conformari.

3. Habilitas sive facilitas membrorum ad sua munia obeunda per frequentes actiones comparata non dignatur nomine habitus.

4. Habitus qui acquiruntur per crebras actiones membrorum inhærent potentiis animæ motionem corporis imperantibus ac dirigentibus.

5. Quæ in brutis per consuetudinem comparari videntur vi phantasmatum eveniunt, quæ per frequentem reiterationem actuum firmius memoriæ adhærent, nullum vero habitum in iis jndicant.

6. Habitus non sunt termini actionum immanentium quibus comparantur.

X. Intentio formæ est qua per plures gradus entitatis in eadem parte subjecti magis ac magis perficitur.

1. Sola qualitas est radix intensionis ac remissionis.

2. Falsum est qualitatem intensibilem esse in sua entitate indivisibilem, & ideo intendi ac remitti, quia subjectum magis vel minus afficit.

3. Latitudo gradualis qualitatis est compositio pluriun graduum ejus, ea habitudine subordinatorum, vt secundus præsupponat primum, & tertius secundum.

4. Adduntur & auferuntur gradus entitatis sine mutatione essentiæ.

XI. Veritas est conformitas judicij cum re judicata.

1. Apprehensio simplicium terminorum non est particeps veri aut falsi.

2. Cum

2. Cum omnis enunciatio ſit vera aut falſa, mala erit diviſio enunciationis in apprehenſivam & judicativam.

3. Orationibus mentientium non correſpondent enunciationes mentales.

4. Cum nobis ipſis formare videmur enuntiationes dubias, aut aperte falſas id non facimus, niſi per conceptus medios ſive ſimplices vocum apprehenſiones.

5. Qui rem aliquam aliter voce profert quam mente concipit, non apprehendit realem conjunctionem terminorum, niſi in actu ſignato.

6. Si eſſentiam veritatis ſpectes, poſita eſt in indiviſibili, ratione fundamenti, alia major eſt, alia minor.

XII. Οὐ μὴν τοὶ γενεσθαι ἀνγιον ταμαχιαν ἀναγκη, ὑσο μὴ γενεσθαι, γενεσθαι μὲν τοι ἢ μὴ γενεσθαι ἀναγκαιδν. *Periher. Cap. 9.*

1. Contradictionis ergo de futuris contingentibus alterutram partem determinate veram eſſe neceſſe eſt.

2. Huic ſententiæ non refragatur Ariſt. licet enim altera pars ſit vera determinate, non tamen neceſſe eſt, vel hanc vel illam eſſe veram niſi in ſenſu diſjuncto.

XIII. In exſtructione ſyllogiſmi tria conſideranda occurrunt; primo, tres mentis operationes ordinabiles: ſecundo, earundem ordinatio: 3 eadem ita inter ſeſe ordinata, ut habeant formam ſyllogiſmi.

1. Non ergo quicquid ad ſyllogiſmum ſpectat exiſtit objective in intellectu.

2. Ens tamen rationis & notio Logica non immeritò dicetur.

3. Cum fabricatio ſyllogiſmi non abſolvatur ſine concluſione non negarem eam eſſe partem ſyllogiſmi.

XIV. In omni diſcurſu via naturali procedente, vel univerſali affirmativa propoſita, omnibus quæ ſubjecto comprehenduntur attributum convenire naturali inſtinctu colligimus: vel negativa perceptà attributum de omnibus quibus ſubjectum attribuitur vere negari ſtatim concludimus.

1. Ipſa ergo diſcurſiva facultas duobus illis principiis nititur dicto de omni & dicto de nullo.

2. Omnis diſcurſus illativus ijſdem innititur.

3. Syl-

3. Syllogiſmos ſecundum hæc principia actu concludentes, majori vniverſali, & minori affirmativa conſtare oportet.

XV. Affectio trianguli reciprocatur cum omnibus ejus ſpeciebus ſimul ſumptis, de quibus non demonſtratur.

1. Subjectum primum & reciprocum non reciprocantur.

2. Neq; omnis propoſitio reciproca eſt neceſſaria neceſſitate tertii gradus.

3. Sola ea propoſitio eſt καθ' ολου, cujus attributum dicitur de ſubjecto ſecundum propriam ejus naturam.

4. Et propterea bene diſtinguit Philſophus ſubjectum primum in primum κατ' αριθμον & primum κατ' ειδος.

XVI. Cum termini communes alicujus ſcientiæ propriæ alicui ejus parti reſtringuntur, non tam tranſlatio quam terminorum communitatio dicenda eſt.

1. Non ergo fit propria dicta tranſlatio in ſcientiis a communi alicujus ſcientiæ parte ad aliquam ejus partem propriam.

2. In ſolis ſubalternis tranſlatio demonſtrationum vitio vacat.

XVII. ου'κ εστιν αυ'τα' καθ' αυτα' τα' πραγματα δια-λεγεσθαι φερομενους αλλα' τοι'ς ο'νομασι αντι' των πραγματων χρωμεθα συμβολοι'ς. *Sophi.* 1.

1. Sæpe contingit nos decipi in rebus δια της εκφωνησεως των ονοματων.

2. In captionibus dictione conſiſtentibus committitur elenchus in ipſis rebus.

3. Non ergo in hoc ſeparantur captiones in dictione & extra dictionem conſiſtentes, quod hæ decipiant in rebus, illæ in vocibus, ſed quod principium motivum deceptionis in illis ſit in vocibus, in his autem in ipſis rebus.

THESES ETHICAE

I.

VIR prudens primo media quæ sibi a memoria, & experientia pro consultatione offeruntur, sua solertia investigat: 2. Eadem mente apprehendit, & recte judicat: vltimo hoc aversandum illud faciendum judicio intellectus determinat.

1. Prudentia est principium bonarum actionum regulativum, sicut virtus executivum,

2, Vt nemo probus sine prudentia, ita nemo prudens sine probitate.

3. Prudentia præsupposito fine communi vnicuique virtuti suam peculiarem finem præscribit.

4. Prudentia & virtus circa eundem finem versantur hæc vt finis est, illa vt habet rationem medij pro fine vltimo consequendo.

5. Nemo prudens determinat finem sine præeunte consideratione mediorum vt possibilium.

II. Ea demum res habet rationem finis, quæ in se aliquam bonitatem habet propter quam sit expetibilis.

1, Quæ ad vlteriorem finem ordinata sunt, & in sese expetibilia, ipsa exercent causalitatem finis.

2. Media ad quæ alia media ordinata sunt si in se nullam bonitatem habeant qua voluntatem alliciant, non habent rationem finis nisi per denominationem extrinsecam.

3. Bona fortunæ non expetuntur vt fines nisi appetitu illicito & inordinato.

4, Finis est adæquatum objectum voluntatis motivum licet non terminativum.

III. Honor est actio proba, & justa expressio illius æstimationis, ac reverentiæ quæ debetur virtuti ac viro probo.

1. Solus honore dignus rite honorare novit, & solus rite honorans est merito honorandus.

2. Honor

2. Honor aliquando verius defertur ab homine privato quam potente οἱ ἰδιῶται τῶν ἀυτάρχων οὐκ ἦττον· ἀλλὰ μᾶλλον δοκοῦσι. Eth. cap. 5,

IV. Omnis virtutis principia interna ſunt prudentia, communis amor honeſti & commune deſiderium finis.

1. Nemo liberalis niſi magnificus & nemo magnificus niſi fortis.

2. Cum temperantia a fortitudine aut liberalitas a magnificentia interdum ſeparari nobis videtur, vel inani virtutis umbra deſipimur, vel ita apparet ob imperfectionem humanæ naturæ, & defectum eorum in quibus virtus moralis exercetur.

3. Ob communia principia interna virtutum moralium & arctiſſimam earum connectionem inter ſe, crebræ actiones vnius virtutis animam præparant & conformant ad reliquas virtutes comparandas.

4. Iuſtitia vniverſa non eſt vna aliqua virtus genere aut ſpecie a reliquis diſtincta, ſed ex ijs omnibus actu incluſis conſurgit.

V. Proportio Arithmetica cernitur in numeris qui paribus vnitatibus a ſe invicem diſtant, proportio Geometrica in ijſdem ſecundum ſimilem aut parem affectionem convenientibus.

1. In illa igitur ſemper ſpectatur æqualitas diſtantiæ, in hac ſimilitudo rationis qua termini inter ſe affecti ſunt.

2. In proportione Arithmetica medium ſemper æque diſtat ab vtroq; extremo, in geometrica modo propius accedit ad hoc, modo ad illud, modo æque diſtat ab vtroq;.

VI. Iuſtitia diſtributiva verſatur in diſtributione bonorum, & malorum externorum vt habita ratione dignitatis perſonarum vnicuiq; pro merito tribuatur: commutativa in contractibus & commutationibus, vt ſine vllo perſonarum reſpectu ſervetur æqualitas.

1. Illa igitur ſervat medium geometricum, hæc arithmeticum.

2. Cum dignitas perſonarum & merita ſunt æqualia, adeoq; idem medium geometricum & arithmeticum vtrumq;

trumq; ſeruatur a juſtitia diſtributiva.

3. Compenſatio homicidij & adulterij ſimpliciter quidem eſt juſtitiæ commutativæ, ratione vero circumſtantiarum etiam ad diſtributivam ſpectare poteſt.

4. Iuſtitia commutativa & correctiua ſola ratione differunt, quod illa ſpectetur in commutationibus ſimpliciter, hæc in injuriis reparandis, vt parti offenſæ damnum reſarciatur.

VII. Vt ſe habet verum ad intellectum, ita ſe habet bonum ad voluntatem.

1. Bonum duntaxat apparens interdum voluntatem movet, nunquam tamen movetur voluntas, niſi à vera bonitate.

2. Non ergo accidit deceptio in formali ratione quæ movet voluntatem, ſed in applicatione ejus ad hanc vel illam rem, quæ eſt veræ bonitatis expers.

VIII. Quilibet in ſeipſo experitur, in ſua voluntate ſitum eſſe, permanente eadem cognitione objecti ſe poſſe illud vel eligere vel reſpuere.

1. Convenit ergo voluntati libertas quæ opponitur neceſſitati, nec idem eſt liberum, quod ſpontaneum.

2. Libertas ergo ſpecificationis eſt, qua voluntas poteſt vel vnum præ alijs eligere, vel vnum & idem vel eligere vel reſpuere.

3. Intellectus dicitur liber, non ob aliam rationem, niſi quia præmonſtrat voluntati varias conditiones objecti, illudq; ſæpe proponit vt indifferens.

4. Voluntas ſemper eſt libera, non tamen in omni actu ſuam libertatem exercet.

5. Actus voluntatis ſemper præſupponit aliquem actum intellectus, neceſſaria tamen determinatio voluntatis ab vltimo judicio practico ejus libertatem penitus tolleret.

6. Si voluntas in omnibus ſuis actibus determinatur a cauſa prima nullus ejus actus erit liber.

7. Cauſa prima efficaciter determinans voluntatem in quibuſdam ejus actibus, ipſam facultatem libere volendi non deſtruit, ſed tantum ejus vſum pro immenſa ſua poteſtate circa tale objectum exercet.

THESES PHYSICAE

I.

Λέγο δὲ τὴν ὕλην τὸ πρῶτον ὑποκείμενον. &c:

1. Materia prima eſt expers omnis formæ,& multum diverſa ſunt, materia in ſuo conceptu nullam formam includit, & a nulla forma actuatur.

2. Quia quicquid entitatis eſt in materia prima, id totum eſt ad exercendum munus potentiæ receptivæ, recte dicitur eſſe pura potentia, non in pura potentia,eſſe in actu & non actus.

3. Eſt pura potentia receptiva, quæ actuatur ab actu informante, non autem objectiva,cui opponitur actus entitativus.

4. Materia non poteſt eſſentialiter & comprehenſive concipi ſine habitudine ad formam vt terminum ſui eſſentialis habitudinis : ejus cognitio a nobis non acquirtur niſi per analogiam, cujus terminus partim eſt negatus partim confuſus.

II. Materia recipiendo in ſe formam eamq; ſuſtentando conſtituit compoſitum.

1. Cauſalitas ergo ejus ordine naturæ & via generationis inchoatur a forma, terminatur vero vltimo in compoſitum tanquam ſuum effectum adæquatum.

2. Anima humana ſicut omnis forma phyſica eſt effectus materiæ inadæquatus & via ad effectum adæquatum.

3. Materia non cauſat per aliquid realiter vel ex natura rei a ſe diverſum, ſed per ſuam naturam quæ eſt formæ capacitas.

4. Inter conditiones neceſſarias ad cauſalitatem materiæ ponimus, primo, ejus exiſtentiam, deinde ejus propinquitatem intimam, ſive indiſtantiam a forma.

III. In prima rerum molittione per vnam & eandem actio-

actionem totum creatum fuit & partes concretæ.

1. Cum nec materia seorsim a forma, nec forma seorsim a materia existere potuerat, actio illa recte censetur indivisibilis.

IV. Accidentia attingunt eductionem formæ substantialis etiam cum loco separata sunt a principali agente: eorum vero sententia a physica ratione generationis maxime aliena est, qui asserunt in generatione viventium defectum causæ proximæ suppleri per concursum causæ universalis; per causam enim universalem vel intelligunt cœlum quod etiam loco sejunctum est, vel causam primam ad quam in omni generatione recurrere, maximam in naturâ imperfectionem argueret. Sol & Homo generant hominem.

1. Accidentia ergo sunt instrumentales causæ generationis citra actualem efficientiam substantiæ distinctam ab actione ipsius accidentis.

2. Vt accidentia producant substantiam in genere causæ ~~materialis~~, non egent elevatione actuali sed sufficit radicalis & admodum habitus.

V. Finis est cujus gratia res est.

1. Cognitio finis est conditio finaliter agendi, sine qua non mediante qua ideo variatur formalis ratio finis, quia applicat diversam rationem formalem movendi in re cognita.

2. Finis non influit in effectum, nisi mediante efficiente ~~erga quem~~ non necessario exercet suam causalitatem, vt videre est in actionibus Dei transeuntibus.

3. Movet & excitat efficientem secundum suum esse reale apprehensum.

VI. Motus est actus imperfectus ordinans & promovens subjectum ad actum perfectum, qui in ordine ad diversa aliam atque aliam induit rationem formalem.

1. Realiter distinguitur a termino ad quem a quo sumit suam distinctionem specificam.

2. Idem actus realiter est perfectus & imperfectus, in diversis prædicamentis sedem habens, & ab omni prædicamento excluſus, alicui subjecto formaliter inhærens,

& qua talis ſubjectum tantum extrinſecus afficiens.

3. Nulla efficax ratio nobis ſuadet generationem e numero motuum ſummovendam eſſe.

VII. Motus & tempus habent eſſe ſucceſſivum ſecundum prius & poſterius.

1. Non ergo habent totum ſuum eſſe ſimul.

2. Incipiunt ergo per vltimum ſui non eſſe, & deſinunt per primum ſui non eſſe.

3. Indiviſibilia motus & temporis incipiunt per primum ſui eſſe & deſinunt per vltimum ſui eſſe.

VIII. Cum lapis ſurſum proijcitur, primo aer movetur a proijciente, & præterea vim ab eo accipit movendi projectum quæ illius gravitatem ſuperat.

1. Per totum ergo illum motum non movetur lapis a proijciente ſed ab aere prius moto.

2. Quo diutius lapis ſurſum tendit, impulſus eo magis debilitatur.

3. Et proinde in ipſo fine motus ſurſum neceſſe eſt æquales eſſe vim motivam aeris & lapidis gravitatem, adeoque ipſum lapidem aliquamdiu quieſcere.

4. Aſcenſus & deſcenſus lapidis non eſt vnus & continuus motus.

IX. Amplitudo ſpatij interjecti vna cum extenſione quantitativa mobilis ſufficiens cauſa eſt ſucceſſionis & continuitatis in motu.

1. Continuatio & ſucceſſio motus non neceſſario pendent a reſiſtentia medij, alioqui cur cœlum non movetur in inſtante?

2. Motus in vacuo non fit in inſtante ſed in tempore.

X. Tempus eſt ſucceſſiva duratio motus, in quantum habet partes numerabiles ab intellectu per prius & poſterius.

1. Multiplicatis motibus multiplicantur eorum durationes, vnicum [illegible]men eſt tempus quo omnis motus menſuratur, quo ſenſu dixit Philoſophus motum eſſe in mobili tempus vero eſſe vbiq;.

2. Quorum duratio eſt fixa & ſimultanea non menſu-

rantur

rantur tempore, niſi per coexiſtentiam & commenſurationem cum duratione primi motus.

3. Nec quieſcentia menſurantur a tempore niſi per accidens, licet ab eo denominentur.

4. Tempus habet extentionem diſtinctam ab extentione motus nec contrarium ſentientibus quicquam prodeſt diſtinctio temporis in internum & externum.

XI. Creatio eſt productio rei ex nulla præexiſtente materia.

1. Aliquid creari ab æterno nec repugnat ex parte producentis, cum producens non neceſſariò duratione antecedat rem productam: nec ex parte productionis, eſſe enim ex nihilo non denotat ſucceſſionem prioris & poſterioris, ſed tantum rem fieri ex nulla præexiſtente materia.

2. Duratio quidem infinita & independens repugnat creaturæ, non tamen infinita quæ eſt cum dependentia ab alio tanquam cauſa & principio exiſtentiæ.

3 Propoſitio hæc *Deus in tempore vult creare* verum ſenſum habet ex parte objecti, fálſum ex parte actus, Deus enim in tempore non incepit habere actum quo creare voluit.

XII. In revolutionibus cœli jam acceptis hodierna eſt vltima, primam etiam aliquam eſſe oportet, nam ſi qnalibet ſeorſum ſumpta alia prior eſt, omnibus conjunctim ſumptis etiam aliqua prior erit, cum non ſint accepta niſi ordine quodam vna poſt aliam.

1. In converſionibus ergo cœli datur prima & vltima neceſſariò.

2 Motus ergo cœli non potuit eſſe ab æterno, adeoq; æternitas motoris non poteſt probari ab æternitate motus.

XIII. Quemadmodum non datur ſubſtantia creata deſtituta omni pulchritudine formæ accidentalis, ita nec datur ſubſtantia corporea quæ non actuatur forma ſubſtantiali.

1. Non minus falſa quam ridicula eſt eorum phyloſophia qui aiunt naturam cœli eſſe materiam in ſe actuatam vel formam in ſe materiatam.

2. Simpli-

2. Simplicitas non arguit perfectionem niſi ſit rei naturæ conſentanea, nec ſemper entia quo ſunt ſimpliciora ſunt eo perfectiora.

XIII. Nullum eſt temporis momentum in quo ſtella relinquens orientem non propius accedit ad occidentem.

1. Planetæ moventur ab oriente in occidentem ſimpliciter, ab occidente vero in orientem ſecundum quid.

2. Motus primus non contrariatur motui ſecundo, & omnino motui cœleſti nullus motus contrariatur.

XV. Medium in demonſtratione ſiue eſt principalis cauſa affectionis demonſtratæ.

1. Formæ ergo gravium & levium ſunt principales cauſæ eorum motus.

2. Idem eſt movens & mobile potestate & actu.

3. Non omne quod movetur, neceſſariò movetur ab alio, vt non ſit valida ratio Ariſt. qua probat Deum eſſe.

4. Removens impedimentum non eſt cauſa motus gravium & levium niſi per accidens.

XVI. Cauſa principalis nutritonis eſt anima vegitativa, inſtrumentalis eſt calor naturalis.

1. Vt fiat nutritio neceſſe eſt qualitates alimenti tandem ſuperari vi naturalis caloris.

2. Nec metallum, nec venenum, nec purum elementum poteſt eſſe alimentum.

3. Salamandram igne, ſtruthionem ferro nutriri vanum eſt.

4. Viventia terminantur minimo & maximo.

XVII. Generatio ſubſtantialis poſita eſt in illa actione qua forma ſubſtantialis vnitur materiæ & producitur compoſitum.

1. Qui agentia animata nihil aliud agere volunt quam diſponere materiam ad receptionem formæ: male confundunt generationem & alterationem.

2. In omni genitura (ſola humana accepta) eadem actio eſt eductio formæ, generatio ſubſtantialis & productio compoſiti.

3. Anima

3. Anima humana a Deo creata ab eo non vnitur corpori ſubſtantialiter, ſed tantum localiter.

XVIII. Anima ſecundum eſſentiam eſt tota in toto corpore & tota in qualibet parte, in eo vero membro præcipue radicata eſt quod eſt vita principium.

1. Cor animalis vel aliquod membrum propoſitione ei reſpondens, eſt præcipua ſedes animæ.

2. Reliquæ partes corporis participant vitam per communionem quam habent cum corde, cjuſq; communionis inſtrumenta ſunt ſpiritus a corde per totum corpus diffuſi.

3. Non generatur ſanguis in jecinore niſi miniſterio ſpirituum qui ad jecur derivantur a corde.

4. Animæ facultates ſuam originem in omnibus partibus corporis conſequuntur, licet non operentur niſi in organis idoneis.

XIX. Omne heterogenium conſtat ex partibus diverſa rationis.

1. Singulæ partes viventis conſtituuntur per ſuas formas, vt fiant idonea animæ inſtrumenta.

1. Thomiſtarum error vnam tantum formam in vno vivente admittentium, vel ſola hac ratione ſatis revincitur.

THESES GEOMETRICAE.

I.

Vjuſcunq; trianguli, duo anguli ſunt minores duobus rectis omnifariam ſumpti.

1. In omni triangulo cujus vnus angulus eſt rectus vel obtuſus, reliqui erunt acuti.

2. Si linea recta cum alia linea recta angulos

gulos inæquales faciat, linea perpendicularis ex quovis ejus puncto ad aliam illam rectam demissa cadet ad partes anguli acuti.

3. Omnes anguli æquilateri & duo Isosceles supra basin sunt acuti.

II. Omnis trianguli majus latus majorem angulum subtendit, & major angulus majori lateri subtenditur.

1. Omnes anguli scaleni sunt inæquales.

2 Omnium rectarum ex quovis puncto ad quamcunq; rectam ductarum perpendicularis est minima.

III. Paralellogrammum paralellogrammo, triangulum triangulo super eadem basi & in ijsdem paralellis est æquale.

1. Et Paralellogramma & triangula super æqualibus basibus & in ijsdem paralellis sunt æqualia.

2. Paralellogrammum eandem vel æqualem habens basin cum triangulo est duplum ipsius trianguli.

3. Si triangulum duplum habuerit basin & in ijsdem paralellis cum paralellogrammo, triangulum erit æquale paralellogrammo.

IV In circulo omnes lineæ rectæ ductæ a centro ad circumferentiam sunt æquales.

Si in circulo vna linea recta aliam rectam bifariam, & ad angulos rectos, secet in secante, erit centrum circuli.

V. Si in circulo recta quædam linea per centrum extensa quandam non per centrum extensam bifariam secet, ad angulos rectos secabit, & contra.

1. In quovis triangulo habente duo latera æqualia, sive æquilaterum sit, sive Isosceles, linea quæ basin bifariam secat perpendicularis erit ad basin & contra.

VI. Quæ ab extremitate diametri cujusq; circuli ad angulos rectos ducitur extra ipsum circulum cadet.

1. Recta ab extremitate diametri circuli ducta ad angulos rectos circulum tangit.

2. Hinc facile erit a dato puncto lineam rectam ducere quæ datum circulum tangit.

VII. Linea

VII. Linea recta ducta a centro, ad contactum linea circulum contingentis est contingenti perpendicularis.

1. Ab eodem puncto extra circulum duæ tantum lineæ duci possunt quæ circulum tangant.

THESES SPHAERICÆ

I.

Athematicam scientiam modum considerandi mathematicum habere necesse est.

1. Astronomia igitur in suo modo considerandi nullam includit affectionem phisicam.

2. Contemplatio motus qua talis aliena est ab astronomia, omniaq; quæ de motu in astronomia dicuntur a phisico mutuantur.

3. Nihil ineptius dici videtur quam asserere corpus mobile circa medium qua tale, vel magnitudinem vt mobilis est circa medium esse subjectum astronomiæ.

4. Propter hæc tuemur subjectum astronomiæ esse magnitudinem mobilem circa medium qua magnitudo.

5. Affectiones Phisicæ ab *A*stronomo considerantur tantum propter rationes mathematicas quæ in iis reperiuntur.

II. In oceano ortus & occasus Planetarum eandem servant proportionem pro varietate longitudinis & latitudinis quam nos in terra observamus.

1. Aqua igitur & terra vnum globum constituunt.

III. Πεφυκὲν ἀεὶ σύρρειν το ὑδὶς ἐις το κοιλοτερὸν. vol. 2.

1. Aqua igitur est spæricæ figuræ, & quilibet liquor vase contentus circumferentia clauditur cujus idem est centrum cum centro vniversi.

2. Superficies aquæ quo remotior est a centro majorem spheram efficit, quo propinquior minorem.

3. Idem vas in inferiori loco collocatum, majorem aquæ copiam in ſe recipit quam in ſuperiori.

IV. Si ſumantur duo circuli æquediſtantes ab æquinoctiali; quantus eſt arcus diei in uno, tantus eſt arcus noctis in alio.

1. Idem ergo tempus quod aliis eſt dies, aliis eſt nox: & dies æſtivus æqualis eſt nocti hibernæ ſibi oppoſitæ

2. Nullus eſt locus totius orbis qui diutius fruatur lumine ſolis quam quivis alius.

3. Semper eſt nox & dies, & quando nobis eſt ver aliis eſt autumnus.

V. Non omnes planetæ patiuntur ecclipſin, quæ vero ſunt ſupra ſolem propter diſtantiæ immenſitatem non ſortiuntur diverſitatem aſpectus, quæ infra ſunt eoſdem fere habent motuum periodos.

1. Nulla ergo una ratio adhuc inventa eſt, quæ ſeorſim ſumpta a reliquis ordinem Planetarum ſufficienter demonſtrat.

VI. Ex accuratiori Aſtronomorum ſupputatione annus Solaris continet dies 365, *horas tantum* 5, *minuta* 45, *ſecundas* 16.

1, Verus igitur annus Solaris minor eſt anno ex communi conſtitutione, per minutas 10. ſecundas 44.

2. Hanc ob cauſam Æquinoctia & Solſtitia ſingulis annis ſuas ſedes mutabunt verſus initia menſium totidem minutis & ſecundis.

3. Niſi ſeculi conſummatio prohibuerit, juxta ſupputationem a *Iulio Caſare* factam, dies Æquinoctij verni incideret in diem Æquinoctij autumnalis, & contra.

VII. Sol plures dies in ſignis Borealibus, quam in Auſtralibus commoratur.

1. Sol ergo motu proprio (idem de reliquis Planetis dicendum) non movetur in orbem cujus idem eſt Centrum cum centro vniverſi, ſed in eo quem vocamus Eccentricum, cujus Aux eſt in ſignis æſtivis.

2. Punctum

2. Punctum boreale Eccentrici Solis magis declinat ab Æquinoctiali quam Auſtrale.

3. Maximæ Solis declinationes non ſunt æquales, nec centrum Solis ſemper ſervat lineam Eclipticam primi mobilis.

4. Quæ ab Aſtronomis dicuntur de æqualitate dierum & noctium longiſſimarum non ſunt accipienda præciſe, & ſecundum rationem geometricam.

VIII. Circa æquinoctium vernum Luna vt plurimum migrat ad latitudinem Auſtralem circa Autumnum redit ad Borealem.

1. Eclipſis igitur Solis & Lunæ vt plurimum contingunt vere & autumno.

THESES METAPHYSICAE.

I.

Metaphyſica eſt ſcientia de ente reali quatenus eſt Ens.

1. Subjectum Metaphyſicæ eſt Ens nominaliter ſumptum, quod abſtrahitur a materia & exiſtentia ſecundum indifferentiam.

2, Nec entia aggregata, nec entia rationis per ſe conſiderantur in Metaphyſica.

3. Primas omnium cauſas cognoſcit cum terminos explicando tum per impoſſibile demonſtrando, & vnicuiq; ſcientiæ ſuum proprium ſubjectum præſcribit.

II. Ens neque dicit ſubſtantiam & accidens ſimpliciter, neque copulative aut diſjunctive, neque ſubſtantiam determinate, & accidens indeterminate.

1. Conceptus igitur entis objectivus eſt vnus qui ratione præſcinditur a conceptibus omnium entium determitorum.

2. Et non ſolum eſt vnus vt ab inferioribus abſtrahitur, ſed etiam vt cum ijs comparatur, & de ijs actu prædicatur.

III. Ens ſine vllo additamento habet quicquid neceſſarium eſt, vt dicatur vnum verum & bonum.

1. Affectiones igitur entis non diſtinguuntur a natura rei ab ipſo ente.

IV. Vnum eſt ens in ſe indiviſum.

1. Negatio diviſionis rei a ſeipſa omni quidem enti convenit ad rationem tamen vnius non ſufficit, attribuitur enim entibus per accidens & per ſolam reflexionem rationis in ente conſideratur.

2. Indiviſio ab alio omni ente eſt quid *vno* poſterius & illud conſequitur.

3. Ratio igitur conſiſtit formaliter in negatione diviſionis rei in ſe.

4. Vnum nihil ſuperaddit enti præter negationem.

5. Per vnum aliud formaliter ſignificatur, aliud explicari intenditur, idem de omnibus attributis negativis dicendum eſt.

Vnitas ratione negationis nullam rei perfectionem addit, ſed ratione fundamenti eam ſupponit,

VI. Vnaquæque res conſtituitur a parte rei per propriam entitatem, ſecundum noſtrum vero concipiendi modum, & vi ſubeſt prædicatis eſſentialibus in ſerie prædicamentali per aliquid ſuperadditum gradui eſſentiæ communi quod illam ſibi propriam efficiat, & per quod ab omnibus ſufficienter diſtinguatur.

1. Individuatio ergo rei ſingularis non aliunde petenda eſt, quam ab ipſa ejus entitate ſingulari.

2. Simplicia ſingularia individuantur per ſuam entitatem ſimplicem, materialia per hanc numero formam, & hanc numero materiam.

3. Individuum aliquid reale ſuperaddit naturæ ſpecificæ.

FINIS.